



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus V. vtrum quælibet persona diuina potuerit humanam naturam
assumere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

habet, per quam esset subsistens, & per consequens persona: sicut dicere solemus de humanitate Christi, si separaretur à Verbo, fore subsistentem, non quidem per subsistentiam quam nunc habet, sed quia propria statim reciperet, nō enim potest separata, omni subsistētia carere. Et hic sensus sufficit sine dubio ad soluendum argumentum: sed non videtur ad eodē consentaneus sensui, & verbis tituli articuli, ut explicatum est, nec etiam rationi, quam reddit D. Tho. scilicet quia in Deo idem est, quod est, & quo est.

Vnde est alius sensus, quod si natura diuina intelligeretur existere sine relationibus, intelligeretur manere subsistens ex se, & ex vi modi essendi, quem nūc habet, etiam si non intelligeremus illi addi subsistentiam, in quo superat humanitatem à Verbo separatam. Ratio est, quia si humanitas separaretur à Verbo fieret subsistens per naturalem consecutionem (quippe in rerum natura sine aliquo existendi modo consistere non potest) nō quia formaliter ex vi sui cōceptus subsistens sit: at verò natura diuina, non solum hac ratione maneret subsistens, sed quia ex se non tantum est quo est, sed etiam quod est: quæ ratio à D. Thom. reddita, in hoc sensu fauet multū supra tractatæ opinioni de essentiali subsistentia. Quod verò addidit naturam sic subsistentem fore personam, intelligendum est, secundum eam fictionem, quæ ponit illam in re ipsa abstracte subsistentem sine alijs personalitatibus, atque ad eodē incommunicabilem. Et ex his explicata manet solutio ad secundum, quæ eandem continet doctrinam.

d. Tertium argumentum est, abstracta personalitate nihil manet, ergo nihil esset quod posset assumere. Respondet breuiter, & obsecrè, antecedens esse verum de abstractione per modum resolutionis, non tamen de abstractione secundum modum iam dictum. In qua solutione explicanda multum laborat Caiet. inquirēdo quid sit abstractio per modum resolutionis. Sed ne immoremur in re non admodum necessaria, mihi breuiter videtur, abstractionem per modum resolutionis vocasse D. Tho. illam, quæ verè vnū ab alio separatur, vel distinguitur, & hanc dicit nō habere locum inter essentiam, & relationes diuinas, ut patet ex distinctione data in corpore articuli, quam ad hunc finem D. Tho. præmisit. Ex quo fit, ut simpliciter & absolute impossibile sit naturam diuinam, abstractam re ipsa à proprietatibus relatiuis, assumere posse, quia simpliciter impossibile est naturā sic esse abstractā, & esse eandem naturam, quæ nunc est, ut rectè probat hoc tertium argumentum. Nihilominus tamen ex hypothesis posita per intellectum, quæ præscindit vnū ab alio, vel qui fingit vnū manere sine alio, etiam si in re non distinguatur, vera est illa propositio, quod si natura esset sic abstracta, posset assumere, & hoc modo est facilis argumenti solutio.

ARTICVLVS III.

Virum vna persona possit sine alia naturam creatam assumere.

22.
3. d. 1. q. 2.
art. 1.

Enchir. c.
35. à med.
tom. 83.

Lib. 3. orth.
fidei. c. 6.



Quartum sic proceditur. Videtur quod vna persona non possit assumere naturam creatam, alia non assumente. Indivisa enim sunt opera Trinitatis, ut dicit August.

* in Enchirid. sicut autem trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio: Sed assumere est operatio quadam. Ergo non potest conuenire vni personæ diuinæ, quin conueniat alijs.

2. Præterea, sicut dicimus personam Filij incarnari, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna suarum hypostasum incarnata est: ut dicit Damasc. in 3. lib. * Sed na-

A cura communis est tribus personis: ergo & assumptio.

3. Præterea, sicut humana natura in Christo assumpta est à Deo, ita etiam & homines per gratiam assumuntur ab ipso, secundum illud Rom. 14. Deus illum assumpsit: Sed hæc assumptio communiter pertinet ad omnes personas: ergo & prima.

Sed contra est quod Dionys. 2. c. de Diu. nom. * incarnatōis mysterium dicit pertinere ad discretam Theologiam: secundum quam scilicet aliquid distinctum dicitur de diuinis personis.

a. Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est *) assumptio duo importat, scilicet actum assumptis, & terminum huius quæst. assumptis. Actus autem assumptis procedit ex diuina virtute, quæ communis est tribus personis, sed terminus assumptis est persona, sicut dictum est *: Et ided id quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personæ, quod non alijs. Tres enim persone fecerunt, ut humana natura vniueretur vni personæ Filij.

b. Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret absque termino, qui est persona.

Ad secundum dicendum, quod natura dicitur incarnata, sicut & assumens, ratione personæ, ad quam terminata est vnio (sicut dictum est *) non autem prout est communis tribus personis. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ personæ incarnatæ.

Ad tertium dicendum, quod assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem diuinæ naturæ secundum quandam assimilationem ad bonitatem illius: secundum illud 2. Pet. 1. Ut diuina consortes naturæ, &c. Et ided huiusmodi assumptio communis est tribus personis, & ex parte principij, & ex parte termini: Sed assumptio, quæ est per gratiam vnionis, est communis ex parte principij, non autem ex parte termini, ut dictum est.

COMMENTARIVS.

Hic articulus potest intelligi non solum de possibili ut sonat, sed etiam de facto, ut D. Thom. respondet incarnationem factam esse: optimè etiam & à fortiori concludens esse possibile, quandoquidem factum est. Et ita hic articulus est sufficienter expostus ex supra tractatis.

b. In responsione ad primum, quoniam D. Tho. sit in verbo assumptionis importari nunc terminum vnionis, qui est persona, colligit Caietanus sentire D. Tho. posse dari aliquē terminum huius vnionis, qui non sit persona, quia nō sine causa addidit illam restrictionem: Qui est persona. Sed reuera D. Thom. hoc loco nihil illi sententiæ fauet, quia illud non est additum per modum restrictionis, sed ad explicandum, cur ex parte termini possit vnio esse propria, & non communis omnibus personis, videlicet, quia ille terminus est persona. Cætera clara sunt.

ARTICVLVS V.

Virum qualibet persona diuina potuerit humanam naturam assumere.



Quintum sic proceditur. Videtur quod nulla alia persona diuina potuerit humanam naturam assumere, præter personam Filij. Per huiusmodi enim assumptionem factum est, quod Deus sit filius hominis. Sed inconueniens esset, quod esse Filium hominis conueniret Patri vel Spiritui sancto: hoc enim vergeret in confusionem diu-

Continuarum personarum. Ergo Pater vel Spiritus sanctus carnem assumere non potuit.

2. Præterea per incarnationem diuinam, homines assumuntur adoptionem filiorum, secundum illud Rom. 8. Non accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum: Sed filiatione adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis, quæ non conuenit nec Patri, nec Spiritui sancto: unde dicitur Rom. 8. Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui. Ergo videtur, quod nulla alia persona potuerit incarnari, præter personam Filij.

3. Præterea, Filius dicitur missus & genitus natiuitate temporalis, secundum quod incarnatus est: Sed Patri non conuenit mitti, quia etiam est inuisibilis: ut in prima parte habitum est. Ergo saltem persona Patris non potuit incarnari.

Sed contra est, quod quicquid potest Filius, potest Pater & Spiritus sanctus: alioquin non esset eadem potentia trium personarum: sed Filius potuit incarnari. Ergo similiter Pater & Spiritus sanctus.

Respondendo dicendum, quod sicut dictum est, assumptio duo importat, scilicet ipsum actum assumptis & terminum assumptionis: principium autem actus est virtus diuina terminus autem est persona. Virtus autem diuina communiter & indifferenter se habet ad omnes personas: eadem etiam est communis ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes. Quandoque autem virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentis rationalibus, quæ se habent ad opposita, quorum utrumque agere possunt. Sic ergo diuina virtus potuit naturam humanam viuere persona Patris vel Spiritus sancti, sicut viuuit eam persona Filij. Et ideo dicendum, quod Pater vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere, sicut & Filius.

Ad primum ergo dicendum, quod filiatione temporalis, quæ Christus dicitur filius hominis, non constituit personam ipsam, sicut filiatione æterna: sed est quiddam consequens natiuitatem temporalem. Unde si per hunc modum nomen Filiationis ad Patrem vel Spiritum sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio diuinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quod filiatione adoptiua est quedam participata similitudo filiationis naturalis: Sed sit in nobis appropriata à Patre, qui est principium naturalis filiationis: & per donum Spiritus sancti, qui est amor Patris & Filij: secundum illud Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Et ideo sicut filio incarnato, adoptiuam filiationem accepimus ad similitudinem filiationis naturalis eius: ita, Patre incarnato adoptiuam filiationem recipemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu sancto tanquam à nexu communi Patris & Filij.

Ad tertium dicendum, quod Patri conuenit esse innafeibilem secundum natiuitatem æternam: quod non excluderet natiuitatem temporalem. Mitti autem dicitur filius Dei secundum incarnationem, eo quod est ab alio, sine quo incarnatio non sufficeret ad rationem missionis.

TAmque ista ipsa, quam litera D. Tho. perspicua est, neque aliquid addendum occurrit.

ARTICVLVS VI.

Utrum plures persone diuine possint assumere vnā numero naturam.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod due persone diuine non possint assumere vnā & eandem numero naturam. Hoc enim supposito, aut essent vnus homo vel plures: Sed non plures: sicut enim vna natura diuina in personis pluribus non patitur esse plu-

res Deos, ita vna natura humana in pluribus personis non patitur esse plures homines. Similiter etiam non possunt esse vnus homo: quia est iste homo, vnus homo, qui demonstrat vnā personam: & sic tolleretur distinctio trium personarum diuinarum: quod est inconueniens. Non ergo due aut tres persone possunt accipere vnā naturam humanam.

2. Præterea, assumptio terminatur ad vnitatem persone: ut dictum est. Sed non est vna persona Patris & Filij & Spiritus sancti. Ergo non possunt tres persone assumere vnā naturam humanam.

3. Præterea, Damasc. dicit in 3 lib. & Aug. in 1. de Tri. quod ex incarnatione Filij Dei consequitur, quod quicquid dicitur de Filio Dei, dicitur de filio hominis, & è conuerso. Si ergo tres persone assumerent vnā naturam humanam, colligitur sequeretur quod quicquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de illo homine: & è conuerso, quæ diceretur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Sic ergo id, quod est proprium Patris scilicet generare se ipsum ab æterno, diceretur de illo homine: & per consequens diceretur de Filio Dei, quod est inconueniens. Non ergo est possibile: quod tres persone diuine assumant vnā naturam humanam.

Sed contra, Persona incarnata subsistit in duabus naturis diuinis scilicet & humana: Sed tres persone possunt subsistere in vna natura diuina, Ergo etiam possunt subsistere in vna natura humana, ita scilicet quod sit vna natura humana à tribus personis assumpta.

Respondendo dicendum, quod sicut supra dictum est, ex vniōe anime & corporis in Christo non fit neque noua persona neque noua hypostasis: sed sit vna natura assumpta in personam vel hypostasim diuinam. Quod quidem non fit per potentiam nature humane, sed per potentiam diuinam persone. Est autem talis diuinarum personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à communionem eiusdem nature, sed solum à communionem eiusdem persone. Quia igitur in mysterio incarnationis tota ratio facti, est potentia facientis (ut Aug. dicit in Epist. ad Volusian.) magis circa hoc est iudicandum secundum conditionem diuine persone assumptis, quam secundum conditionem nature humane assumptæ. Sic ergo non est impossibile diuinis personis, ut due vel tres assumant vnā naturam humanam. Eset tamen impossibile ut assumerent, vnā hypostasim, vel vnā personam humanam: sicut & Ansel. dicit in li. cur Deus homo, quod plures persone non possunt assumere vnū eundemque hominem: scilicet in vnitatem persone.

Ad primum ergo dicendum, quod hac positione facta, scilicet quod tres persone assumerent vnā humanam naturam verum esset dicere quod tres persone essent vnus homo, propter vnā naturam humanam. Sicut n. nunc verum est dicere, quod tres persone sunt vnus Deus propter vnā diuinam naturam, sic verum esset dicere quod essent vnus homo propter vnā naturam humanam. Nec ly vnus, importaret vnitatem persone. Sed vnitatem in natura humana. Non n. posset argui ex hoc, quod tres persone sunt vnus homo, quod essent vnus simpliciter: nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus quantum ad aliquid: puta vnus populus. Et sicut Aug. dicit 6. de Trin. diuersum est natura Spiritus Dei & spiritus hominis, sed inherendo sit vnus Spiritus: secundum illud 1. Cor. 6. Qui adheret Deo, vnus spiritus est.

Ad secundum dicendum, quod illa positione facta, humana natura esset assumpta in vnitatem: non vnus persone, sed in vnitatem singularum personarum: ita scilicet quod sicut diuina natura habet naturalem vnitatem cum singulis personis: ita natura humana haberet vnitatem cum singulis per assumptionem.

Ad tertium dicendum, quod circa mysterium incarnationis fit communicatio proprietatum pertinentium ad naturam: quia quatuor conueniunt nature, possunt

Art. 2. huius
in quest.

Dama. l. 3.
c. 4.
Lib. 1. ex 7.
11. 12. & 13.

10 3.

q. 2. art. 5.
ad 1.

Est epist. 6.
non multum
ante mediū

10m. 2.

Lib. 2. c. 17.

Deus homo
2. 9 circa
principium

Lib. 9 c. 3.
ante mediū
10m. 3.